



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Imagines Sacrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

sunt, in quantum tam intellectus, quam voluntas, aliquo modo ab inferioribus vires accipiunt, quæ organis corporeis alligantur, idem *1. par. quest. 115. ar. 4. & 6.*

Tertiò, mores hominum à dispositionibus syderum variari dispositivè & contingenter possunt, & stellæ per constellationem influentiæ inclinant, *Aster. lib. 1. tit. 12.*

Quartò, corpora caelestia, & constellationes homines quandoque ad vitia, quandoque ad virtutes inclinant, non tamen cogunt, *Artil. in ver. Astrologia, m. m. 2.*

Quintò, cœlestia non possunt imprimere directè intellectum, nec voluntatem, sed possunt ad hoc dispositivè inclinare, *Sylvest. in ver. superstitio, §. 6.*

Sextò, corpora possunt quodammodo inclinare ipsam animam, *Soto lib. 8. q. 3. ar. 2. col. 4. de iust. & iure*

Septimò, homo natus sub aliqua constellatione, talium aut talium syderum, non cogitur ex illa ad malè, vel benè operandum, *Navar. ca. 2. num. 34. notab. 28* licet omnia, quæ sunt sub Lunari globo constituta, per superiora regantur, & procurentur, *Ang. in ver. superstitio, num. 15. vide D. Aug. lib. 4. de Civit. Dei. c. 1. & in tract. 8. in Ioannem, & D. Thom. 1. p. quest. 22. ad 3. & quest. 116. art. 2. Boet. 4. hb. de consolat. Philosop. ubi habes, an datur fatum, quomodo intelligatur, & sup. Math. cap. 2. col. 2. & lib. 3. contra gentes, cap. 92. & ibi Ferratiensis, Cajetan. 2. 2. quest. 95. art. 5. D. Chrylost. in Math. ca. 2. Gregor. Niss. lib. 5. Physiologia, cap. 1. Lozom. lib. 6. cap. 35. Nicephor. lib. 2. cap.*

*45. prope medium, in Hister. Eccles. ex quibus summa hæc est, quod quando tam sancti Patres, quam sacri Theologi, & Canonistæ negant sydera cœlestia agere in hominem, intelligunt de coactione, necessitudine, ut falsò asseriebant Pricilianistæ, & Faustus Manichæus, & parimodo est intelligendus D. Gregor. in Homil. Epiphania, & hoc præter innumerabiles rationes quæ possunt afferri, istæ duæ sufficienti pro nunc, quod actus humani sunt liberi, & non possunt cogi à stellis, & si ita esset, nec meritorii, nec demeritori dici possent. Ad hæc omnis anima est spiritus, & sydera sunt corpora, ergo non habent communicantiam in materia, quæ requiritur in actione, & passione, *Aristot. in lib. 2. de genera. & corrupt. & lib. 2. de anima, in ca. de tactu, vide Abb. in ca. 2. & 7. de Sortileg.**

IMAGINES SACRÆ.

Primò, quomodo depingendæ, & adorandæ, vide Conc. Constantin. VI. *Can. 100. & Canone 72. ubi inter cætera habes, figuram Crucis non posse fieri in pavimento, & Concil. Trident. sess. 25. de sac. imag. cap. si canonici, & ibi glo. in ver. in devotionis, de offi. ord. li. 6. cap. perlatum, cap. venerabiles, de consecra. dist. 3. D. Thom. 2. 2. qu. 84. & quodlibeto 103. art. 3. & Magist. Sent. & Theologos, in 3. Sent. dist. 9.*

Secundò, imagines sacræ potius, & majori reverentia venerantur, quando sunt in pariete, vel in Ecclesia, quam quando sunt in officinis, seu in apothecis pictorum, quia ibi vendendi, & emendi

M m 3 causa

causa sunt positæ, illic verò, ut debitus honor eis exhibeatur, Cap. Tolos. 303.

Tertio, picturæ verò & imagines insolitæ, nulla in Ecclesia, vel etiam exempta, poni possunt, nisi priùs fuerint approbatæ ab Episcopo, & sic de miraculis, & reliquiis Sanctorum; ita fac. Concil. Trident. capit. ul. de invoc. vener. & reliq. Sanct. & sacr. imag. §. in has autem, ver. postremo.

INSTITUTIO.

Institutio quatenus ad praxim episcopalem attinet, sumitur multis modis. Primò, pro confirmatione, seu provisione facta per Ordinarium, ei quem patronus legitimè præsentavit in beneficio juris patronatus, & sic cap. 1. de reg. iur. lib. 6. & ista pertinet ad capitulum sede vacante, & ad vicarium Generalem Episcopi, & sine speciali mandato, cap. ex frequentibus de instit. & inf. in ver. Vicarius, dub. 14. Secundò, sumitur pro collatione facta ab Ordinario, & sub ista cadit commissio curæ animarum. Tertio, pro investitura & possessione beneficii. Quarto, pro confirmatione electionis, vide Dyn. & Addit. ad gl. in ca. 2. de reg. iur. lib. 6. Quintò, pro constitutione officiali in aliquo loco, prout in cap. 1. ver. nec pro eo. & ibi Gem. in nota. 3. de offi. ord. lib. 6. volui hæc scribere ad evitandam æquivocationem, prout in cap. cum illis, §. cum autem, de prebendis, lib. 6. & sic sumitur in d. cap. 1. de reg. iur.

INDULGENTIA.

SUMMARIUM.

- 1 An Prælati possit indulgentias concedere, & quot dierum, & an ante ipsius consecrationem.
 - 2 An Capitulum, Sede vacante,
 - 3 An possint publicari in Diocesi, absque Ordinarii licentia.
 - 4 An & quando revocentur.
 - 5 An indulgentiæ Legati à latere, & Episcoporum sint perpetuæ.
 - 6 Qua forma sint concedendæ.
 - 7 Que sublata.
 - 8 Cui loco possint concedi.
 - 9 Quibus causis sint concedendæ.
 - 10 An existens in peccato mortali in hebdomada in qua fit Iubilæum, si faciat omnia, que in eo iubentur, & die Dominico confitetur peccata sua, & communikat, lucretur Iubilæi gratiam.
 - 11 An ille cui iuncta fuit pœnitentia, putà, ut per quadraginta dies jejuset, ut per septem annos faciat hoc aut illud pro pœnitentia iniuncta, sine satisfactione suorum peccaminum, si lucretur Indulgentiam quadragenariam, vel septennalem, teneatur dictam pœnitentiam adimplere.
- A**D Primum respondetur, posse, etiamsi fuerit solum electus, sive postulatus, modò sit confirmatus, licet nondum consecratus, etiamsi non sit presbyter. Sylvest. in ver. Indulgentia, numero 13. & solum 40. dierum, vel annum in dedicatione Ecclesiæ, cap. cum ex eo, de pœnitent. & remiss. Sylvest. loco